

Quaestiones disputatae (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Quaestio 9: *Utrum Adam fuerit sapientior omnibus aliis hominibus praeter Christum?* (fol. 105rb)

Utrum Adam fuerit sapientior omnibus aliis hominibus praeter Christum?

Et videtur quod sic, quia immediate a Deo

factus est, quo ad corpus et quo ad animam. Effectus autem, qui fit a summo artifice immediate, fit optimo modo qui competit naturae. Sed si fuit talis, nullus alius fuit talis, quia non fuisset optimus, si haberet socium.

Contra, dicitur de Salomone, *III Regum*, quod dedit ei scientiam² plus quam alicui, <105va> qui praefuisset vel futurus esset.

Respondeo, dicendum, quod in causis per se ordinatis sic est quod primum est perfectius omnibus posterioribus, sicut patet de unitate et igne. Unde oportet quod sit ratio, et mensura et, regula omnium quae sunt post eum, sicut dicitur *X Metaphysicae*. Unde hoc nomen 'homo' per prius sibi competit et per consequens competit aliis, sicut dicit Hieronymus, quod ubicumque in veteri Testamento habetur 'homo' in graeco et in hebraeo habetur 'Adam'. Exemplum, *Psalms*,³ filii hominum, etc. Unde debuit sicut habuit praeceptum et naturam pro tota posteritate, sic habuit et habere debuit perfectionem naturae et gratiae super omnes alios, sicut et habuit, quod patet, quia omnibus creaturis nomina imposuit. Unde omnes debebant reduci de potentia ad actum, non solum quantum ad primum actum naturae, sed etiam quo ad actum secundum quo natura vestitur scientiis et virtutibus. Unde ipse habuit omnem scientiam quam homo natus

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Quaestiones disputatae q. 9, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² Scripsit sed del. *q*

³ Ps 56:5.

est habere. Et quantum pertinebat ad statum illum, habuit scientiam de supernaturalibus quibus iuvatur homo ad finem supernaturalem. Unde de eo dicitur,⁴ ecce Adam factus est quasi unus ex nobis videte etc. Sed cum esset in tanto honore constitutus, non⁵ intellexit, propterea comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis. Omnia enim ei subiecat Deus.

Ad argumentum,

dicendum, quod Salomon ita habuit scientiam et subiectum scientiae a Deo immediate sicut Adam, non tamen habuit tantum de ea, quia non erat caput totius humanae naturae gubernare sicut Adam. Ideo non tantum dedit ei Deus. Et quod dicitur, *III Regum IV*,⁶ quod non fuit similis nec surrecturus sit, debet intelligi de hominibus generatis via humana, propter quod excluditur Christus et Adam, quod patet, quia in sequenti capitulo determinat illam sapientiam.

⁴ Gn 3:22.

⁵ Ps 48:21.

⁶ I Rg 3:12.